

**Disputatio medica inauguralis, de typho ... / Eruditorum examini subjcit
Dionysius McCarthy.**

Contributors

McCarthy, Denis, M.D.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1799.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/khjanp9r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

T Y P H O.

DISPUTATIO MEDICA
EXAGUVALIS

TYPHUS

DISPUTATIO MEDICA

GRABER DOCTORIS

TYPHUS
DIONYSII MANTII

ELIENOR
AD VENERANDUM PATREM

14
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE
T Y P H O;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DIONYSIUS M^cCARTHY,

HIBERNUS:

SOCIET. REG. PHYS. SOC. HON.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

THYPHO

ET
ANALYSE SCIENTIARUM

EX ACADEMIA MEDICA

D. GEORGII BAIRD, M.D.

ACADEMIAE MEDICAE

MEMOR

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

1850

GRADU DOCTORIS

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

DIONYSII MONTANI

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

EDINBURGH

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

FRATRI CARISSIMO,
CAROLO M'CARTHY,

ARMIGERO,

DE SUNVILLE,

IN COMITATU CORCAGIENSI;

EXIGUUM

FRATERNI AMORIS

TESTIMONIUM,

HANC DISSERTATIONEM

SACRAM

VULT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

T Y P H O.

QUONIAM solennis invaluit consuetudo in hac celeberrimâ Academiâ ut, quicumque summos in arte Apollineâ honores ambiunt, aliquid de re medicâ scribant; huic legi non invitè equidem, sed qua par est diffidentiâ, obtemperaturus, de Typho dicam: et iudicum indulgentiæ confidens, rem tanti momenti perfunctoriè tractabo; vix enim

A.

alia

2. DISPUTATIO MEDICA

alia quam quæ ipse ego observavi in illo nobilissimo publicæ pietatis monumento, Regio Edinenfi Nosocomio, referam.

DEFINITIO MORBI.

Morbus contagiosus ; calor plurimum auctus ; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens ; urina parùm mutata ; sensorii functiones plurimùm turbatæ ; vires multùm imminutæ.

HISTORIA MORBI.

Cuicumque vel leviter attendenti ad symptomata quæ in definitione continentur, febris, si presens adfit, plerumque innotescet ; aliquando tamen, primis præcipuè invasionis diebus,

bus, non ita apertè naturam morbi ostendunt symptomata, quin sagacem animum admoveas oporteat, ut certior fiat diagnosi. Non enim semper rapido ut synocha, sed sæpe sæpius lento gradu ingreditur Typhus; obrepit sensu corporis quasi contusi lassitudine et languore et anorexiâ; tanta sæpenumerò adest virium prostratio et imbecillitas, primo etiam vel secundo morbi die, ut vix artus movere queat ægrotans. Tum prægressis tremoribus, supervenit calor intensus et urens, calori, qui post exercitationem nimiam oriri solet, simillimus. His succedit sudor, qui dolores ad tempus sublevat; nunc adfunt torpor, vertigo, nausea, et nonnunquam vomitus. Pulsus fit parvus, frequens, digitoque facilè comprimendus. Tuncque etiam aliquando syncope oritur; neque arteriarum ictus ad carpum, explorante digito, percipi possunt; tremunt manus et brachia, imo non abest sensuum internorum tarditas et hebetudo, vespereque delirio mens levitèr perturbatur. Si atrocior sit febris, potentioresque

tioreſque cauſæ excitantes, hæc omnia ſecundo vel etiam, ſi rectè noverim, primo morbi die ingruunt. Manè verò leviora fiunt ſymptomata, quæ ſequenti veſpere ſeveriora, intensioraque recurrunt. Pallida fit facies, depreſſus et peſſima quæque ominans animus; affuetis facilè afficiuntur ſtimulis ſenſus externi; nonnunquam delirium cum primo febris aſſultu, ſæpius vero non niſi poſt incertum plurium vel paucorum dierum intervallum, ingreditur; imo nullum aliquando delirium occurrit, niſi cum jam ad ſolutionem vergat morbus: Non deſunt exempla, pauciſſima quidem, typhorum, quæ delirii penitèſ immunos fuere. Reſpiratio fit oppreſſa, fitis nullis potionibus extinguenta, calor corporis intenſus et urens; lingua morbidâ et albâ quâdam materiâ obducitur; cutis eſt plerumque arida, et aſpera; urina pallida aut etiam aliquando alto colore tinctâ. Die ſeptimo vel octavo, ſtupor, vertigo, dolor capitis, urgentiora fiunt; tunc etiam temporis tinnitu aurium, præcordiorum oppreſſione,

oppressione, nec non anxietate maximâ, febricitans laceffitur; sæpissimè sudor gelidus a fronte fluit, dum ardescit facies. Die vero nono, decimo, vel duodecimo, profusus gelidusque sudor extremitates madefacit. Ipse ego vidi hoc morbi stadio vomitus immanes, et diarrhœas, quæ sibi invicem succedebant. Tunc etiam plerumque petechiæ (rarius vides quæ pessimi sunt ominis) in cervice, pectore, et brachiis, cito per totum corpus pullulaturæ, exoriuntur, non tamen fixo certoque tempore apparent. Cùm jam verò dies undecimus (quo non alius periculi plenior) illuxerit, in pejus omnia ruunt, atrocissima fiunt symptomata, quæ sæpius nullâ arte, nullâ medicinâ, sunt debellanda. Viribus fractis admodum et exhaustis, jacet æger, collapsa est facies, tremulus et ita debilis pulsus, ut explorantem medici digitum penè effugiat; in febricitantibus nonnunquam pulsum frequentia est, centum et viginti, centum et triginta, centum et quadraginta, centum et quinquaginta,

ginta, imò etiam centum et sexaginta, in horæ minuto; nullum vidi febricitantem cujus pulsuum frequentia erat centum et quinquaginta aut centum et sexaginta, qui a morbo convaluerit; numero paucos admodum vidi homines, quorum pulsuum frequentia centum et quadraginta, multos verò quorum centum et triginta erat, qui tandem victores è certamine exiverunt: cùm autem primâ ætate, naturalis pulsus longè velocior sit quam maturâ; quæ de pulsuum frequentia tradidi non de infantibus intelligi debent. Extremitatum tremores, floccorum collectio, subsultus tendinum, oculi pulverulenti squallidi, pessimè ominantur; fæcum et urinæ involuntaria emissio maximum ostendit periculum. Ægrum tandem morbo fractum mors abripit, cujus frequentissima certissimaque prænuncia convulsio. Non certa morbi duratio, plerumque tamen undecimo vel decimo quarto die solvitur; nonnulla sunt typhorum exempla, quibus attulit finem dies vigesimus, neque
etiam

etiam semper hoc tempore earum durationem circumscriptam fore quidam medici contendunt.

Criticos HIPPOCRATIS dies parvi recentiores faciunt, non tamen omninò rejiciendi mihi videntur; verùm enimvèro ex centum sexaginta et tribus febribus quarum eventum scriptor ille clarissimus memoriæ tradidit, centum et septem aliquo è criticis diebus, tertio, videlicet, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vigesimo, solutæ fuerunt; ita ut videatur lex esse quædam naturæ, quâ homines ad tertianum et quartanum typum sint magis proclives; quæ sit verò lex illa, quæ ejus ratio, dictu difficillimum est; natura enim fixis legibus operatur, modum verò quo sua opera evolvit et perficit, densissimâ merfit caligine.

DIAGNOSIS.

Ex iis quæ diximus, obvia admodum erit
hujus morbi diagnosi. Facile ab inflammato-
riâ febre distingui potest; hæc frigidarum re-
gionum accolas, ille calidarum potius corri-
pit; hæc pulsum plenum, durum, potentèr-
que enitentem; ille debilem, parvum, fre-
quentem, facile digito comprimendum habet.
In synocha sanguis missus est, densus et tenaci
crustâ coopertus; non ita verò in Typho: in
inflammatoriâ febre, urina est rubra, in Typho
plerumque pallida; postquam tantisper pro-
cesserit Typhus, anima fit foetida; cutis exhalat-
iones odorem referunt, quem huic morbo pro-
prium non immeritò dicam: ingruente mor-
bo, corporis calor non ita urens ac in inflam-
matoriâ febre, neque morbus ille tam rapido
gradu quàm hic progreditur; levius est deli-
rium,

rium, et ab aliâ prorsûs causâ oriundum. Verùm enimverò in Typho, parciori sanguinis cerebrum versus fluxui, in synochâ, liberiori ejusdem versus caput impetui est adscribendum. Qui Typho laborant collapsam pallidamque faciem habent; qui verò synochâ, tumefactam et floridam; illis maxima et subita virium prostratio, his verò neque tanta neque tam subita erit. Typhus debiles et infirmos, synocha sanguineos et robustos homines potiùs aggreditur; ad solutionem vergente Typho lingua fit nigra, dentes putridâ forde obliniuntur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ne limites, in quibus hujuscemodi dissertatio circumscribi decet, prætergrediar; horum tantummodo symptomatum rationem reddere ag-

grediar ; quæ, pro suâ dignitate majore, sibi attentionem medici maximè vindicare mihi videntur. Oriuntur petechiæ a cutaneis vasculis ita debilitatis, ut rubræ sanguinis globulæ facillè per eorum ora elabantur ; non est etiam fortassè sanguis crassus ut decet. Tremores, subsultus tendinum a maximâ debilitate, quæ fit, ut fibrillæ musculares stimulo quolibet faciliùs afficiantur, hæc musculorum conditio *irritabilitas* dicitur, mihi que videtur pendere ab abnormi quodam vis nerveæ affluxu ; hinc certè ille septi transversæ affectus, qui singultus nomine nuncupatur. Pulsus frequens, vel a cordis debilitate, quod unâ contractione sese deplere non valet, proindèque ad frequentiores cietur ; aut etiam ab ejusdem irritabilitate, ita ut minore sanguinis penu stimuletur. Laboriosa fit respiratio, propter musculos, qui respirationi inserviunt, generalis debilitatis participes factos, ut, ad solitos motus, qui ad ampliandum thoracem requiruntur, ægrè valeant. Dysphagia, pharyngis, œsophagi, &c. musculorum

culorum paralyfi est adscribenda. Urina pallida pendere mihi videtur, a spastica constrictione, quâ fit, ut fecernentia renum vascula crassiores partes recusent; cum vero rubra est, eadem vascula ita relaxata judicanda sunt, ut crassioribus partibus facilis pateat aditus; nonnunquam certè color ille ruber a minutis quibusdam vasculis ruptis exoritur; si verò diutius urina in vesiculâ retineatur; nihil obstat quominus contendamus subtiliores urinæ partes absorbentium ope resorberi, et iterum ad cor reduci; absorbentia enim vi quàm maximâ in febricitantibus pollere inde patet, non solum quia tam subito marcessit febricitans, sed etiam quia sæpissimè à febre dispellitur aqua intercus, iterum post febrem reditura. Quarundam partium frigus, inæqualem sanguinis fluxum ostendit; sanguinis enim circuitus, ad calorem gignendum eundemque per totum corpus diffundendum, haud parùm conferre videtur. Stupor et vertigo à languidiore per cerebrum sanguinis circuitu exoriuntur; quidquid

quidquid enim sanguinis motum per arterias cerebri debiliorem facit, ejusdem vim, et, ut aiunt *energiam* minuit. Eandem fortassè causam agnoscat syncope, enimverò à se mutuò pendent cor et cerebrum. Involuntaria fœcum et urinæ emissio pendet certè a sphincteribus ani et vesicæ urinariæ ità relaxatis, ut contenta elabi patiantur antequam voluntatis imperio ad id faciendum moveantur.

CAUSÆ RÆMOTÆ.

Duplicis sunt generis, quarum alteræ prædisponentes; alteræ excitantes dicuntur. Prædisponentes causæ sunt illæ, quæ ita corpus ad morbum proclive faciunt, ut admotis excitantibus causis, morbus enascatur; non enim valent causæ excitantes ad morbum faciendum,

dum, nisi jam corpus proclive factum fuerit. Inter prædisponentes causas numerantur, quæcunque corpus debilitant et infirmant; deficiosa vivendi ratio, studia nimis intensè culta, vigiliæ, affectus animi deprimentes, immo dica Venus, et alia ejusdem naturæ; notatu tamen dignum est, aquam intercutem et phthisin, quæ certè cum debilitate maximam habent affinitatem, vix unquam cum febre conjungi. Exempla tantum duo GREGORIO nostro occurrerunt febrium, quarum altera cum aquâ intercute, altera cum phthisi conjungebatur, quamvis innumeros, præsertim priore morbo laborantes noverit, qui contagio objiciebantur; indè non absurdum foret, non a solâ debilitate, sed ab aliâ quâdam re, hanc conditionem, quæ corpus morbo opportunum facit, petere. Novimus etiam robustos, quosdam homines à febre fuisse correptos, dum nulla obvia erat debilitans causa, quæ corpus morbo opportunum faceret. Excitantes causæ sunt illæ, quæ, corpori jam proclivi factò, admotæ,

admotæ, morbum excitant. Celeberrimi scriptores arbitrantur contagium, et humana effluvia solam esse excitantem causam Typhi. Non tamen de hâc re omnes inter se consentiunt; referuntur enim exempla nonnulla Typhorum, in quibus nullum contagium, effluvia humana nulla, detegi possent; aliæ igitur videntur esse excitantes causæ v. gr. frigus, quod secundum peculiarem quendam, quo agit, modum, et secundum peculiarem conditionem corporis, nonnunquam morbum excitasse reperiens; aërem ipsum, animalibus aut vegetabilibus effluviis putrescentibus maximè contaminatum, tabi febrilis non immunem esse quibusdam verisimillimum videtur; sed periti judicent de re adeò obscurâ.

CAUSA

DE TYPHO. 15

CAUSA PROXIMA.

Quod proximam causam febris attinet, me facile veniam affecuturum fore spero, si pauca admodum de hâc re tradiderim. Proxima enim causa febris, et omnium ferè aliorum morborum, tam densâ caligine merfa est, ut doctissimorum virorum ingenii aciem penitùs effugiat, cùm verò nihil nos de febrium natura doceat dissectio anatomica, non mirandum est profectò si penitùs nunc negligatur; reverà, tantis difficultatibus premitur *generis nervosi*, et *solidi vivi*, ut aiunt, scientia, cum quibus hocce febris genus tam intime connectitur, ut ejus natura vix ac ne vix quidem nosci queat; prætermisissis igitur ferè innume-
ris opinionibus, quæ de proximâ febrium
causâ

causâ in medium prolatae fuerunt; Doctrinam Cel. CULLENI, quam ipse, maximis difficultatibus obnoxiam esse ingenuè fatebatur, ipsius verbis utens referam :

“ The remote causes are certain sedative
“ powers applied to the nervous system, which
“ diminishing the energy of the brain, thereby
“ produce a debility in the whole of the
“ functions, particularly in the action of the
“ extreme vessels: such, however, is, at the
“ same time, the nature of the animal economy,
“ that this debility proves an indirect
“ stimulus to the sanguiferous system;
“ whence, by the intervention of the cold
“ stage, and the spasm connected with it, the
“ action of the heart and larger arteries is
“ increased, and continues so till it has the
“ effect of restoring the energy of the brain;
“ of extending this energy to the extreme
“ vessels; of restoring therefore their action,
“ and

“ and thereby especially overcoming the
“ spasm affecting them ; upon the removing
“ of which the excretion of sweat, and other
“ marks of the relaxation of excretories
“ take place *.”

PROGNOSIS.

Nihil est profectò, quod magis ad morborum symptomatumque medelam conducatur, quàm eorum prævisio ; nihil magis ad medici famam confert ; laus illius in omnium ore versatur ; illi omnes confidunt, ejusque præceptis faciliè obtemperantur, si quæ futura sunt præcognoscat, verè probèque prædicat ; nihil tamen difficilius, quàm futurum febris eventum rectè præfagivisse. Verùm enim-

C

verò

* CULLEN's *First Lines*, Art. 46.

verò sæpissimè, primo morbi exordio, omnia mitissima videntur, perque aliquot dies benè prosperèque succedunt; subitoque, stupentibus omnibus, in pejus ruunt, donec mors tandem febris finem afferat. Caveat igitur medicus, si famæ suæ consulat, ne incautè nimis de futuro rerum eventu suam opinionem in medium proferat; neque, primo saltem morbi stadio, eum periculi immunem unquam pronunciet.

Malè ominatur tenax, glutinosus, frigidus quarundam tantummòdo partium sudor, haudquaquam tamen fidendum est copioso, tenui, calido, qui ad pedes usque liberè fluit; non enim semper levamen affert, aliquando oriuntur pustulæ, quæ milii semen referentes, *miliares* sunt dictæ; nihil tamen ad prognosin nostram confirmandam valent; præcipuè enim aut etiam forsan penitùs à nimis profuso sudore pendent. Incipiente morbo,

lenis

lenis biliosa diarrhœa aliquando crisin, et salutem, attulit; cum verò diutiùs protractus fuerit morbus, cum jam sint fractæ et exhaustæ vires, omni ope compescenda. Multum abest, ut medici, nostris temporibus, tantùm urinæ conditioni confidant, quantùm majores confidebant; Cel. GREGORIUS tamen narrat pessimi generis febrem profluvio urinæ haud exiguo fuisse solutam. Petechiæ non mortem, sed nunquam non periculum portant; vibices, pulverulenti et squallidi oculi, qui lucis stimulum non percipiunt, magnum periculum ostendunt. Surditas, quæ à peculiare quâdam cerebri conditione pendet, levamento aliquando fuit, neque inter mala omina est numeranda. Delirium, difficilis et anhela respiratio, floccorum collectio, subfultus tendinum, singultus, pessimè ominentur. Laboriosa respiratio de quâ jam diximus, dysphagia, convulsiones instantem mortem plerumque præcurrunt; attamen GREGORIUS
noster

noster vidit febricitantem per quatuor et viginti horas dysphagia laborantem, qui morbo penitus convaluit. Collapsa facies, viscidus à gutture et faucibus fluens mucus, os spumans, aphthæ vel nigrescentis vel cineritii coloris, odor fœtidus, gelidæ extremitates, fœcum et urinæ involuntaria dejectio, ad extrema ventum esse testantur.

RATIO MEDENDI.

Nunc ad hanc operis partem devenimus, quæ certè maximi est momenti, quò igitur dilucidior fiat oratio nostra; rationem medendi ad tria consilia reducam, et dicam: *1mo*, Quomodo fit spastica constrictio removenda, et nimius debellandus renixus; *2do*, Quomodo fit debilitati obviam eundum; *3tio*,

3tio, Quomodo proclivitas ad putredinem fit corrigenda.

CONSILIUM PRIMUM.

Primum medendi consilium meliùs certiùsque absolvetur vomitoriis, diluentibus, neutris salibus, balneis vel calidis, vel frigidis.

Febris, si properè, et, ut ita dicam, ab ipsius incunabulis aggrediatur, aliquàndo arceri et dispelli potest; si verò tardior sit, ops neque priùs allata, quàm jam morbus morâ invaluerit, id nullo, quod noverim, remedio perficietur, tuncque ad palliativas tantum indicationes nobis confugiendum est. Vomitoria febres instantes vel jam ingruentes arceri vel dispellere nemo non fatetur; cæteris omnibus

omnibus vomitoriis præstare mihi videtur antimonium tartarifatum; huic mites admodum et certæ, si debitè adhibeatur, constant facultates; exhalationem per cutem insignitè promovet, commodiùs aquâ solutum, parvis, repetitisque dosibus propinatur; magnis nixibus et agitationibus quas efficit, æqualem per totum corpus sanguinis cursum expediendo multum prodesse videtur; si verò spem et expectationem nostram fallant vomitoria, non abs re erit experiri quid valeat novum illud remedium, quod vir, omni fide dignus Doctor CURRIE se felicissimo eventu sæpiùs usurpassè testatur, de frigidâ aquæ affusione loquor, non tamen valebit remedium illud, fatente ipso CURRIE, ad febrem dispellendam, nisi tribus primis invasionis diebus adhibeatur, si seriùs usurpetur, palliativum tantummòdo erit remedium; validum est prorsus remedium, proindeque cautè est dandum. Calor urens remedium postulat et be-

nè fert ; præfertim si ad gradus Thermometri FARENHEITIANI centesimum, primum, secundum, tertium auctus sit ; perstantibus verò frigoris vel sudoris stadiis angue et cane est pejus vitandum. Post affusionem aquæ gelidæ, suspiriosa et brevis fit respiratio, exhalatio per cutem expeditur, fit lingua nitida et humida, minuitur dolor capitis, somnus conciliatur ; ego ipse vidi hoc remedium bis, præscribente cel. HOMIO, usurpatum in Regio Edinenfi Nosocomio ; primus, qui hujus medicinæ periculum fecit, jam dies quinque febricitabat, ideòque febris frigida lavatione non fuit remota, sed acriora symptomata mitescebant ; peractâ quâque lavatione, pulsus viginti circiter ictibus in horæ minuto, tardior fiebat, sitis extinguebatur, respiratio erat magis libera, et sudor uberius profluebat. Alter verò tres tantum dies ægrotabat, omniaque symptomata febrem arguebant ; lavatio frigida non sine maximâ felicitis eventûs spe ad
experimenta

experimenta adducta est ; omnia ut in priore exemplo cessere, sequenti verò mane, ortis pustulis parvis, variolam adesse omnibus obvium fuit ; per totum morbi cursum distincta, omnique periculo vacua fuit, et ita prospera, ut nullâ medicinâ opus foret. Si verò morbus nec arceri nec dispelli potest, eum mitiorem efficiunt diaphoretica, insigniter prodest haustus ille qui fit ex alkali vel fixo vel volatili, et acido vegetabili v. gr. succo citrorum, irritabilitatem stomachi et intestinorum sublevat, et consensu mirabili, qui cutem inter et partes illas existit, promovet diaphoresin, quæ quidem maximi est momenti ; verum enimverò si quid noxii sit a corpore expellendum, per cutem præsertim expelletur. Enematibus domesticis, infuso fennæ cum mannâ vel tamarindis, neutris salibus, alvus est lenitè laxanda ; si illis rebus non laxetur alvus, jalappa hydrargyro muriato miti conjuncta, non solum sine periculo, sed etiam

maximo

maximo cum commodo in auxilium vocabatur; acida vel vegetabilia, vel fossilia, cum ægri potione mista, ad sitim, quæ quidem maximo est irritamento, restinguendam maximâ virtute valent. Quod verò potum febricitantium attinet decoctum avenaceum et hordeaceum, aqua super tostum panem infusa, vel cum lacte mista, cerevisia nostra tenuis ægris ipsis haud insuavia sunt et saluberrima; perspirationem expediunt, et acria, quæ in primis viis nonnunquam reperiuntur, diluunt et obtundunt. Non enim denegandæ sunt maturæ et acescentes fruges, poma, fragæ, &c. Si oriantur petechiæ, si calida aridaque sit cutis, operæ pretium faciet, qui corpus aquâ vel frigidâ vel callidâ cum aceto mistâ lavabit, omnia quæ a totius corporis lavatione oriuntur beneficia, fortasse a solis pedum et crurum fomentationibus percipientur; calorem enim minuunt, pustulas submovent, perspira-

D

tionem

tionem expediunt, caputque exonerant. Per-
gamus ad secundum consilium.

SECUNDUM CONSILIUM.

Adversus debilitatem maximè valent toni-
ca, et stimulantia, frigus corpori admotum, aut
etiam in ventriculum receptum inter roborantia
primas tenet; cavendum est, ne fit nimium.
Hinc facile intelligitur, haustus acidus, de qui-
bus jam antea diximus, etiam vi suâ roborante
prodesse. Frigidulus aër tanti est momenti,
ut illo sublato, medicamenta alioquin opti-
ma et efficacissima parùm omninò valeant.
Cortex Peruvianus inter efficacissima robo-
rantium jure et meritò habetur; quæcunque
verò sit vis illius adversus intermittentes, ambi-
gua profectò illius utilitas in continuarum fe-
brium exordio; ubi enim adest diathesis phlo-
gistica,

gistica, non potest quin maximum afferat detrimentum; viribus enim muscutorum adjuvat, et actionem arteriarum movet et auget. Vi etiam roborante pollet acidum carbonicum; ope succi citrorum et alkali cujuslibet acidum illud facile obtinebis; ejus vis maxima ad compescendum vomitum, qui tamen in Typho tantus aliquando reperietur, ut solo opio debellari possit. Vinum omnibus aliis stimulantibus longè præstat, non parcâ sed liberiori manu propinandum est; gratissimum illud cardiacum, pulsus tardiores, plenioresque efficit, putredini obstat, quæ etiam si in universâ massâ nunquam locum haberet, sæpè sæpiùs in primis viis occurrit, utrum verò universa massa ope lacteorum unquam putredinis particeps fiat non nostrum tantam dirimere litem; vinum delirium arcet et dispellit, lb. i. vel lb. ij. probè aquâ dilutæ in viginti quatuor horis commodè dari possunt; neque defunt exempla febrium in quibus libræ tres, aut

aut etiam quatuor requirerentur; vina rubra aliis anteponenda; nonnihil enim astringentis prorsusque roborantis habent; si verò vinum sit ingratum, meraciores illi latices spiritus distillati dicti, five ex uvis, saccharo, &c. per ignem eliciantur, cautè sunt porrigendi. Electuarium cardiacum probè dilutum præstantissimum est cardiacum.

CONSILIUM TERTIUM.

Munditia præfertim est observanda, aërque sæpiùs mutandus, nihil enim putredini magis favet, quàm aër calidus, impurus, morbosus effluviis corruptus et stagnans; sæpissimè etiam mutanda sunt indusia et flocci; citissimeque excrementa quælibet removenda. Siquid putridi intestinis insit, diluentibus vi-

no, aut acido qualicunque vegetabili, mistis corrigendum. Maturi fructus de quibus jam diximus, insigniter ad sistendam putredinem valent. Vis est maxima vini et corticis Peruviani ad tonum actionemque vasculorum augendum. Cum verò jam putrescunt partes solidæ, ab illis folis ægrotantis salus est expectanda. Si malè dormit æger vesperè præscribatur opium, reficientem somnum conciliabit, molestias illas, quæ, ab ipsis infomniis oriuntur, removebit; neque præstantius est remedium adversus atrocissimum illud symptoma subfultus tendinum dictum, quod tam facilè in generales convulsiones definit; non nimis parcè imò repetitis de die dosibus est dandum; medici tamen erit medicamentum adeò validum cautè et prudentè adhibere, ne, cum jam maxima adest debilitas, lethalis stupor inducatur; nihil obstat quominus opium cum aliis antispasmodicis, moscho, camphore

camphore, valerianâ, jungatur. Non est negligendus liberior cardiacorum usus.

Abolutis iis rebus quæ ad rationem medendi pertinent; pauca subjungam præcepta quibus rediens sanitas confirmetur et invaleseat. Vix solidus cujuslibet generis cibus febricitanti est porrigendus; tam languescunt vires, quæ concoctioni inserviunt, ut quidquid alimenti absorptum est, segnius aut forsan nullo modo concoquatur, proindèque pessimos habeat effectus. Cum verò ægri solidiores cibos appetunt, quod certissimum est sublatae febris signum, carnes ipsæ non sunt denegandæ, et cautè sunt illis concedendæ; prandeat affas bovis carnes, manè verò et vespere lacte et bono pane fermentato vescatur; hoc præcipuè cavendum est, ne uberiori cibi copiâ opprimatur natura, quam parcius reficeret. Cortex Peruvianus, vinum, ex ferro præparata,

præparata, idonea corporis exercitatio, dum modo corpus ad eam valeat, purus frigidulusque aër vires renovabunt, reditumque morbo præcludent.



preparata, idonea corporis exercitatio, dum
 modo corpus ad eam valet, prout frigiditas
 que res vires renovant, redditumque morbo
 precludunt.

